



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Articulus II. De Tergiversatoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)

lit? Responſio eſt affirmativa, ut expreſſe dicitur L. ab accuſatione. 6. §. 4. ibi: *calumnia cauſa puniuntur.* &c. ff. ad S. C. Turpillian.

ARTICULUS II.

De Prævaricatoribus.

325 **P**rævaricari, eſt crimina abſcondere, ut dicitur cit. L. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turpill. ubi gloſſ. lit. M. *prævaricari, eſt diſſimulare crimina, quæ alias propoſita ad ſuam cauſam maximè facerent; & adverſam partem adjuvare prodiſa ſua cauſa;* prodiſ autem, dum colludit cum Reo, idque efficit, ne condemnetur; & colligitur ex L. Prævaricatores. 22. ff. de verb. ſignif. ibi: *Prævaricatores eos appellamus, qui cauſam adverſariis ſuis donant; & ex parte actoris in partem Rei concedunt; quod fit,* ut dicitur cit. L. 1. §. 6. ff. ad S. C. Turpill. colludendo cum Reo, *translativè de fungendo munere accuſandi, nimirum proprias probationes diſſimulando, & falſas Rei excuſationes admittendo.*

326 Circa præſentem materiam not. 1. *Prævaricatorem,* prout hoc titulo de illo agitur, propriè eſſe, qui *publico judicio* (ubi ſcilicet agitur de crimine publico) *doloſè ac ſimulatè accuſavit,* nimirum diſſimulando, quibus crimen efficaciter probaret; & admittendo falſa effugia. Talis prævaricatio eſt corruptela publici judicii; nam ex hoc fit, Reum criminis, publico prævaricationis judicio, abſolvi à crimine, ut rectè notat Haunold. tom. 6. de Jure, & Juſt. tr. 2. n. 533.

327 Poena verò prævaricationis olim erat eadem, quam alias Reus per prævaricationem abſolutus, ſi convictus fuiſſet de crimine, ſubiviſſet, ut dicitur L. 6. ff. de Prævaricatoribus; hodie eſt extraordinaria, L. 3. ff. ad S. C. Turpill. & notat Corvinus ad hunc tit. apud Haunold. cit. qui tamen obſervat in Carolin. Ord. Crim. a. 115. conſtitutum eſſe de prævaricatoribus: ut, *ſi procurator ex propoſito, dolo malo, in præjudicium partis ſua, & in favorem partis adver-*

ſa gerit, & de hoc convictus fuerit, parti ſua imprimis, pro damno cauſato, omni poſſibili modo ſatisfaciat; deinde ad numellas poſitus, virgis caſus, relegetur, vel alio modo, pro qualitate commiſſi delicti, puniatur.

ARTICULUS III.

De Tergiverſatoribus.

Tergiverſari in univerſum eſt ab accuſatione deſiſtere, ut dicitur L. 1. cit. §. 1. ff. ad S. C. Turpill. cenſetur autem deſiſtere non tantùm, qui omittit accuſationem, vel denuntiationem criminis ſine licentia Judicis, ut dicitur cit. L. 1. §. 7. *Si quis autem:* ſed etiam qui cum adverſario tuo, de compoſitione ejus criminis, quod intendebat, fuerit locutus; vel intra præſinitum à Præſide tempus Reum ſuum non peregit, ut habetur L. 6. ff. eod. vel denique, qui in totum animum agendi depoſuit; non autem, qui ſolùm diſtulit, ut habetur L. 3. eod.

Not. autem, quæ dicta ſunt de *tergiverſatione,* etiam intelligi de *frustratione;* nimirum, eſſe accipienda de deſiſtente, hoc eſt omittente accuſationem, vel captam ſine abolitione, intervenſu Judicis, non proſequentem, cum deberet neceſſitate officii, legis, vel contractûs, aut quaſi contractûs, qui intervenit ex conteſtatione litis. Cum enim calumnia, etiam tergiverſando commiſſa, ſubjecta ſit poenæ, ut colligitur ex L. 3. 12. & 13. ff. eod. neceſſe eſt omiſſionem accuſationis, vel non factæ, vel captæ, ſed non proſecutæ, debere culpabilem eſſe. Nam qui Reum *exemptum* non deſert, non videtur deſiſtere, L. 12. ff. eod. nimirum culpabiliter. Dixi, etiam intelligi de *frustratione.* Nam *frustrari* apud Cujacium ad L. 4. C. de conveniend. Fiſci debitoribus, eſt *tergiverſari,* ſeu *moram trahere.* Et mora ipſa (nempe illa debitoris dilatio, quam cauſat latitando, animo, ut fraudentur creditores) *frustratio* dicitur, de quo V. Pereyra in Elucid. 1194. & 1247.